

Undecim primae classis alumni, qui anno hoc
curriculum academicum inchoarunt, sunt hi:

W. H. Erich, Neohusianus.

L. P. Meyer, Guestensis.

F. Hemsoth, Verdensis.

F. W. Borstelmann, Oederquartensis.

I. H. Ellenbrock, Verdensis.

C. A. Neuburg, Nienburgensis.

H. C. Goetze, Otterndorfensis.

C. Scharff, Verdensis.

E. T. Reye, Ritzebuettelensis.

*F. de Decken, natus Oerichsheil, pagus
terrae Kedingensis.*

O. Aichel, Elsflethensis.

Ad unum omnes nobis cari sunt indefesso li-
terarum studio, laudabili discendi cupiditate atque
obsequio modestissimo. Omnes fere studiis hu-
manioribus hand mediocriter imbuti scholam reli-
querunt; pauci tantum abierunt praematurius
Erich, Meyer, Reye et Neuburg singularem sibi
laudem quaesiverunt.

BIBLIOTHECA
GYMNASII
VERDENSIS.

Disputatio

de

I d e a l i s m o

historico - philosophica.

Ad diem XIX Julii a. MDCCCXXI.

quo Rex noster Augustissimus

GEORGIUS IV.

coronabitur

in Lyceo Verdensi

ab hora decima audita

oratiunculis celebrandum

Scholarchas reverendissimos

Collegas amicissimos

Omnesque literarum ac studiorum humaniorum

Fautores et Maecenates

ea qua decet observantia

invitat

Ernestus Ludovicus Cammann,

Rector.

STADAE, Typis Fridericianis.

MDCCCXXI.

Disputatio
de
Idealismo
historico - philosophica.

Ad natales

GEORGII IV.

M. Britanniae et Hannoverae Regis

in Lyceo Verdensi

die XII. Aug. ab hora decima audita

orationibus celebrandos


Scholarchas reverendissimos
Collegas amicissimos

Omnesque literarum ac studiorum humaniorum
Fautores et Maecenates

ea qua decet observantia

invitat

Ernestus Ludovicus
Rector.



STADAE, Typis Fridericianis.

MDCCCXXI.

*Copied from the library of Dr. Jac. Lange
May 1859*

Praefatiuncula.

Rectissime quidem Leibnitius in epistolis dicit: *Illud igitur pro certo habendum est, quidquid terminis popularibus explicari non potest, nisi immediato sensu constet, esse nullum, et a philosophia velut piaculari quodam carmine arcendum. Ego certe ea ratione factum esse arbitror, ut in Anglia Galliaque paulatim scholastica philosophandi ratio exoleverit, quia iam dudum illae gentes philosophiam sua lingua excolere coeperunt, ut ipsi plebi quodammodo atque etiam feminis aditus de talibus iudicandi sit factus. Nihilo tamen secius disputationem hanc latine conscripsimus, quod res in quaestionem vocatae captum illiteratorum excedunt. Ne igitur philosophiae theoreticae rudes, horum legendorum forsani curiosi, multa non*

satis intelligendo, in varios errores incidant, lingua latina usi sumus, quae omnibus, quos iuvat, commentationibus philosophicis animum advertere, satis nota est. Omnem praeterea operam dedimus, ut longos et perplexos evitarem verborum anfractus ambagesque, et omnia oratione, quam maxime clara et simplici enuntiarimus. Neque tamen plane respuimus vocabula recentiora, in sermonem philosophicum iam dudum recepta, *existere, existentia, essentia, realis, realitas, realiter, realismus, abrupta scientia, influxus, conceptus*, et his similia, in primis ex Graeco formata, veriti, ne ea cum aliis commutata orationem redditura essent obscuriorem.

§. I.

Omnes orbis terrarum populi, quorum memoriam historia ad nostram aetatem propagavit, de rerum et hominis natura philosophati sunt. Homo enim, quo est ingenio et indole, vitam sensuum illecebris plane addictam bestiarum instar, degere non potest. Rerum visibilium conditorem, a rebus ipsis discretum, e quo originem traxerint, et a cuius nutu pendeant, indagare, naturam eius humana multo praestantior ac perfectior pro virium tenuitate adumbrare, nec non de actionibus hominum, quatenus liberae et ad certam normam temperandae sint, meditari, interno animi impulsu adigitur.

§. II.

Homo, ut rerum causas et essentiam rimetur atque investiget, in statum assurgat necesse est altiorum, e quo rerum, quae sub sensu cadunt, universitatem infra se adspiciat, et a sensuum influxu sese expediat; quod nullo pacto fieri posset, nisi a creatore cogitandi et ratiocinandi facultate ornatus esset. Animus, ratione praeditus, ad meditationes philosophicas invitos quasi nos trahit, et efficit, ut rerum, cum humanarum, tum divinarum, cognitionem assequamur altiorum, quam quae ex scientia, ut vocant, abrupta et experien-

tia nascatur. Summus philosophiae finis ergo in eo est ponendus, ut clariorem de rerum natura, de ente absoluto perfectissimoque, nec non de actionibus hominum liberis, cognitionem nobis comparemus.

§. III.

Quaesiverunt multi, num esse possit philosophia omnibus numeris absoluta, quae eam habeat certitudinem, ut in placitis eius nihil, nec mutari nec corrigi, queat. Quod Philosophi theoretici magna quidem confidentia affirmant, quum per synthesisin a priori dogmata, quibus insit veritas necessaria, constitui posse, autument. Sed his, ut mihi videtur, adhuc sub iudice est. Philosophi enim theoretici non aliud veritatis κριτηριον nobis suppeditare possunt, nisi quod dogmata, ab ipsis promulgata, rerum naturam explicant. Quare, ut vera habeantur, cum iis, quae in Φαινόμεναις observamus, accuratissime congruant, omniaque, ut nullus dubitationi locus relinquatur, dilucident, necesse est.

Relatio ergo necessaria inter philosophiam theoreticam et rerum naturae cognitionem intercedit. Philosophia cognitionem, quam de *Phaenomenis* habemus, nunquam superabit, et prout haec augebitur, illa ad altiorem perfectionis gradum adscendet. Quod si concedatur, de quo infra copiosius agemus, philosophia omnibus numeris absoluta haud fingi potest; sed quatenus rerum naturae cognitio clara

et erroribus purgata est, ea tenus philosophia clara et vera. Pro humani ingenii indole et tenuitate philosophiae studium nunquam ad perfectionem progredi potest, quam sententiam saeculorum praeteritorum historia luculentissime probat.

§. IV.

Immensus philosophorum, tum veterum, tum recentiorum, est numerus. Ad omnium opera perlegenda vita nostra haud sufficit. Cunctas quidem rationes et vias tentarunt, ut dogmata tandem, quae nemo refutare posset, proponerent et argumentis firmis munirent. Sed omnium tentamenta adhuc in cassum cecidere. Nullum omnino exstat systema philosophicum, quod omnes eiusdem aevi, nedum saeculorum posteriorum, viri docti amplexi sint. Sed ut *nihil tam absurdum est*, ut Ciceronis verba mea faciam, *quod philosophi non contenderint*, ita nullius sane mentis philosophi disciplina tam est absurda, cui non aliquid veri insit. Facultas philosophandi omnibus est eadem; quae si esset doctrina arte parta, nonnulli certe a veritatis via prorsus aberrarent.

§. V.

Facultas, cum non sit scientia, excolatur necesse est; quod meditando et notiones abstrahendo fit. Intellectus ope non solum de rebus, quae sensus movent, sed pariter de sublimioribus, quae non sub sensus cadunt, notiones formantur.

Ad verum conceptum et notionem entis realis formandum duo necessario requiruntur. Nullius enim rei cognitio vel e re sola, vel ex animo solo colligi potest. Ut nos rerum extra nos existentium recte conscii fiamus, earum naturam vere cognoscamus, et conceptus, quos vocant abstractos, formemus, non solum mens apprehendens, sed etiam obiectum, cognitionis quasi materiam suppeditans, postulatur.

Quicumque, quae separari non debent, separatur, et vel subiectum vel obiectum solum in rebus cognoscendis respicit, in errores incidat necesse est. — Qua conditione non satis observata factum est, ut tanta opinionum et dogmatum diversissimorum copia in diem producta sit.

§. VI.

Rudis aevi viri sapientiores philosophari quidem sunt, sed ad accuratam rerum cognitionem pervenire non potuere, quod *phaenomena* contemplantes, ingenii humani indolem et verum cognitionis fontem non perscrutarentur. Talem philosophandi rationem sequentes *Cosmophysici* nuncupantur. Qui omnes, rerum visibilium originem et causas in materia investigantes, de numine omnibus numeris absoluto atque a phaenomenis discreto nihil ausi sunt coniectura augurari.

§. VII.

Tam manca rerum cognitio philosophis sagacioribus non diu satisfacere potuit. Cognoscendi facultatem examinare atque ingenii acumen ad ani-

num ipsum explorandum convertere coeperunt. Qua philosophandi via passa, fieri non potuit, quin philosophia ipsa mox aliam indueret formam. Rerum naturae disquisitionem, tanquam prorsus inutilem, negligentes, viri ingenii sagacitate praecellentes meditationi abstractae potius indulgere, ut rerum sub sensus cadentium naturam penitus cognoscerent. Subtilissimis quaestionibus ita campus latissimus apertus est, quod ratio, meditationi abstractae dedita, difficultates, quibus cognitio premebatur, optime evitare posset.

§. VIII.

In Empirismi locum Rationalismus successit, qui philosophiae terminos quam longissime dilatavit. Nihil enim obstabat, quo minus illa in perfectam disciplinae formam redigeretur; quum discrimen, quod intercedit inter cogitandum et cognoscendum, susque deque haberetur et prorsus confunderetur. Ita mirum nobis videri non potest, quod Rationalismus, arctis finibus circumscriptus, in Idealismum degeneraverit; Qui sensim sensimque ad hoc altitudinis admirabilis cacumen adscendit, quo nostris diebus floruit. Nonne mirabile dictu, quod reperti sunt, qui externam rerum naturam plane negarent! *Idealismus morphotheticus* animum nostrum admiratione, et *cosmotheticus* stupore percellit!

§. IX.

De Idealismo philosophiae recentioris copiosius disputaturi, pauca de origine ac fonte eius

praemoneamus; nec non, quatenus dogmata philosophorum antiquorum illi viam aperuerint, disquiramus.

§. X.

Philosophorum graecorum systemata recensens, *Eleaticos*, Magnae Graeciae philosophorum sagacissimos, primos Idealismi auctores offendet. Philosophandi initium ceperunt a dogmate hoc: *Ex nihilo nihil fit.*

Quod cum accuratius excuterent et ad vivum resecaerent, ad contradictionem se redactos viderunt, quod nihil omnino, ut probare studeverunt, gigni possit. Sensuum perceptionibus prorsus diffidentes, quod specie nos fallerent, solum veram rerum cognitionem acquirendi principium rationem abstractam habuerunt, quae vero demonstraret, nihil gigni posse. Abstractione omnes τῶν Φαινόμενων notiones tollebant; nihil ergo mansit nisi existentia ipsa. Quo facto sic colligendum esse crediderunt: Si essentia est τὸ εἶναι, existentia est cuiusvis entis notio essentialis, primaria et unica. Quod si vero in gignendo mutatio status essentialis cogitari debet, nullum ens potest gigni, quum in existentia nulla mutatio possibilis sit. *Nec existentia potest fieri non-existentia, nec non-existentia, existentia.* Omnia sunt unum, et unum est omnia, i. e. Deus ipse. *Phaenomena* specie nos decipiunt; vere non existunt, quum talia, qualia sensibus apparent, ab intellectu cogitari non possint.

§. XI.

Pauci tantum fuere, qui sequerentur Eleaticorum sectam. Viri sagaciores mox intellexerunt, τὸ εἶναι esse ideam abstractam notionibus carentem, de qua ratio, quum ipsa abstrahendo omnem essentiam realem sustulerit, nihil edicere possit. Quare fictiones nimis subtiles missas faciamus, et ad Platonem, celeberrimum *Rationalismi* auctorem, transeamus.

§. XII.

Plato *divini* cognomine olim honoratus est, nec immerito; non quod divinitus missus esset et ingenium eius humanam imbecillitatem longo superasset, etsi raris animi dotibus praepollebat, sed quod purissimo rerum divinarum sensu et spiritu sublimiori penetrabatur et regebatur. Academiae conditor firmissime sibi persuaserat, rerum universitatem a Deo gubernari, omnes mutationes ab illo proficisci et temperari, hominem vero, virtuti studentem eamque exercentem, numinis perfectissimi similem reddi.

Morum doctrina ab eo formata et exulta per longam saeculorum seriem insigne auctoritate valuit, quam profecto inter omnes sinceræ pietatis honestatisque cultores, naturam hominis sublimiorem et divinam agnoscentes, in perpetuum retinebit.

Multa tamen Platonis dogmata esse falsa, vel fundamento lubrico superstructa, quis est, qui neget? Quo pacto ille erroribus implicitus sit, non difficile est demonstratu.

§. XIII.

Platoni ante omnia philosophiae notionem accuratius definire necessarium videbatur, quod valde manca et vaga esset. Quod ut perficeret, animi humani naturam atque indolem diligentius examinare incepit, ut de cognoscendi fonte aliquid certi constitueret. — Duplicem in homine animadvertit cognoscendi facultatem, *sensus* et *intellectum*. Sensibus nostris res mutabiles et caducas, quas *Φαινόμενα* appellat, percipimus; quae vero cognitio firma et vera esse nequit, quoniam phaenomena proprie et per se nulla sunt, sed *εἰκῆα*, seu imagines tantum *idearum*, eaque *πρωτῆα*, quae in Deo reperiuntur.

Idea cuiusvis rei verissima est essentia, qua detracta, phaenomena esse non possunt. Sensibus *ideas* non percipimus; quare sensuum cognitioni nullus plane locus relinquitur in philosophia; ratio enim sola in veram rerum essentiam, quae vulgo realitas dicitur, inquirere valet. Hominem sensuum affectibus obnoxium de vera rerum natura nihil cognoscere posse, clarissime inde elucet. Ratione duce et magistra ad rectiorem penitionemque cognitionem assurgere studeamus, necesse est.

§. XIV.

Tali modo Plato viam sibi aperuerat, quam secutus in Rationalismum, qui nihil curat experientiam, neque satis explicat, aberravit, quem ingenium eius poeticum et vividissimum phantasiae

vigor ampliavit mirumque in modum exornavit. In sententia eius, philosophum, ultimas rerum causas et essentiam realem investigantem, *cogitando* ad finem propositum pervenire posse, latet notionum confusio et permutatio, quae plurimos antiquitatis philosophos effugit. Cogitando quidem veritatem assequimur, sed non omne cogitatum realiter existit; nihil cogitatione abstracta invenimus, nisi veritatem, quam vocamus logicam.

Plato, in hunc tramitem conversus, rationem, unicum veritatis realis fontem, ducem in philosophando elegit; qua confusus τῶν Φαινόμενων animadversionem prorsus inutilem indicavit. Placita eius, quae dialogis passim intexta sunt, in perfectam doctrinae formam redigi possunt. Philosophiae academicae systema *Rationalismi* nomine nuncupatum est. Qui rationis *Rationalismus* ab *Idealismo* recentiore non discrepare mihi videtur; quod ut demonstrum, de ratione, qua philosophi omnium aetatum, pro placitorum diversitate, in classes dividi solent, pauca adiciam.

§. XV.

Sunt, qui philosophiam metaphysicam in *cosmogonicam* et *dianoiogeticam* dispescant; quae divisio mihi non satis placet, quod hae philosophandi rationes non *specie*, sed praecipue *perfectionis gradu* differunt. Quilibet enim in natura rerum explicanda operam consumit et in cognitione, quam phaenomenorum contemplatio suppeditat, acquiescit, nec suae cognoscendi

facultatis rationem ita habet, ut, quae ipse ex suis cognitioni addat, rite perpendat, non recte philosophatur. Manca est Divisio, ad veram et falsam philosophandi rationem exacta.

§. XVI.

Totus philosophorum grex rectius dividitur in Realismi et Idealismi assectatores. Illi veram rerum cognitionem ex rebus, quae extra nos existunt, hauriri posse, existimant, quum phaenomena veram sui cognitionem in intellectu nostro efficiant. Hi hominem unicum cognoscendi fontem habent; eorumque iudicium est hoc: animus, interno quasi motu incitatus, non solum phaenomena percipit, sed etiam cognoscit; Ideas actu spontaneo format, quo fit, ut scire nequeamus, num rerum natura talis re vera sit, qualis nobis videatur: homo enim intra idearum suarum terminos captus tenetur, ac scientia, ut vocant, abrupta nihil est nisi mera *cogitatio*.

§. XVII.

Quod discrimen si intercedit inter Realismum et Idealismum, Platonis Rationalismus non differt ab eorum philosophandi ratione, qui Idealismum profitentur. Concedit quidem Plato, hominis cognitionem a sensuum perceptione principium capere, sed nihil veri et certi inesse eiusmodi cognitioni. Utpote phaenomena vera carent essentia, ita cognitio, quam sensuum ope acquirimus, valde est incerta et fluctuans. Altior et verior homini insitus est cognoscendi fons, ab illo valde diversus, qui est ratio. Ratio suis utitur legibus, ut τῶν

ὄντων naturam examinet et definiat. Quare non est, quod ratio in meditationibus de rerum natura rationem habet eorum, quae sub sensus cadunt.

Quibus paucis satis evincitur, Platonis Rationalismum ab Idealismo philosophorum recentiorum non differre.

§. XVIII.

Etsi multi reperiuntur, qui Platonis vestigia in philosophando presserint, singulorum placita accuratius delineare et examinare haud operae pretium sit. Quare sequentium saeculorum philosophos silentio praetermittamus, et statim ad *Leibnitium*, ingenii ubertate et immensa eruditione celeberrimum, cuius placita metaphysica Platonice sunt simillima, transeamus. Praecipua similitudo in Platonis *ideis* Leibnitique *monadibus* invenitur, de quibus, quae huc faciunt, referantur.

§. XIX.

Quem ad modum Platonis *ideae*, sic Leibnitii quoque *monades* sunt entia rationalia; existunt quidem *realiter*, sed non *materialiter*. Phaenomena ad idearum exemplaria, quae in numine perfectissimo continentur, efficta et formata sunt. Nihil habet veram existentiam, nisi quod participes est *ideae*, quae est προτύπων.

Quodvis phaenomenon consistit duabus partibus, ex *idea*, quae est το ἔν, et materia, quae per se non existit. Quatenam sit τὸ ὄντος natura,

non docuit Plato, nisi per notiones abstractas, quae pertinent ad ens immateriale. Leibnitius monadum essentiam copiosius explanavit, ut doctrinae suae majorem certitudinem vindicaret; quae vero explanatio eum a Platone abduxit.

§. XX.

Leibnitii *monades* entia sunt rationalia; non in Deo existunt, sed omnes a Deo originem trahunt. Entia sunt simplicia, quae partibus carent, quare nec coniungi, nec separari possunt. Nullum e causis externis influxum percipiunt; omnes mutationes, quas experiuntur, sunt internae. Mutationes consistunt in *perceptione*, quae differt ab *apperceptione*, haec nimirum est *perceptio, cuius conscii sumus*.

Monades suis reguntur et mutantur legibus, sicut et corpora propriis legibus obtemperant; haec illarum non sunt conscia, nec influxum invicem in se exserunt. Arcissime tamen inter se cohaerent, et vim quandam mutuan in se habere videntur, quae in *harmonia a Deo praestabilita* nititur.

§. XXI.

Ex his satis elucet, Leibnitium in metaphysicis quam maxime cum Platone consentire. Eandem harmoniam praestabilitam Plato sibi in animo efflaxerat. Deus, ut docet, phaenomena tanquam idearum imagines formavit, et homo veram eorum essentiam nullo pacto perciperet, nisi oaedem ideae hominis animo insitae essent; quam

ab

ob rem hominis animus tabulae inscriptae comparari potest. Tali indole instructus phaenomena cognoscit; quae vero cognitio, sicut in harmonia praestabilita, ab ente perfectissimo est derivanda.

§. XXII.

Leibnitii dogmata de rerum natura et de ente perfectissimo, quamvis multis verbis exposita sunt, tamen magna laborant difficultate, et plurimas quaestiones, in quas necessario incidimus, non satis dilucidant. Iam in primis principii haesitemus recessu est. Monadum v. c. existentia probatur ex compositorum natura, quum composita sine simplicibus cogitari non possint.

Phaenomena non realiter existunt; in infinitum dividi possunt, quare ex absolute simplicibus non constant. At, si alicubi dixit, monades esse substantias simplices nec materiales, absurdum est, existentiam simplicium ex compositis probare, cum de compositis nihil certi constet.

Reliqua, quae ex aliorum philosophorum placitis huc pertinent, praetermittamus, et ad philosophum Regiomontanum nos convertamus.

§. XXIII.

De philosopho omnium sagacissimo eiusque de tota philosophia meritis, laude nostra maioribus, hoc loco verba facere, ab huius disputationis fine alienum est. De Idealismo eius potius agamus. Primo loco principia fundamentalia, quibus Idealismus nititur, excutiamus, ut fontem eius deprehendamus, ac, num verus an falsus sit, diiudicemus.

B

§. XXIV.

Sed non est, quod longe circumspiciamus; in limine ipso magnum offendiculum reperimus; quo non animadverso facillime a recto tramite deflectere et veritatis specie seduci possumus. Inprimis quaeritur, num id, quod *Kant* de *Synthesi a priori* tradidit, satis probandum sit. Quam igitur questionem penitus examinemus.

§. XXV.

Kant in *λογιστικῆ* rationis purae initium capit a variis cognoscendi fontibus, qui, ut dicit, duplicis sunt generis, quum cogitationes partim ex sensuum perceptione, partim ex intellectu ipso orientantur. Sensuum perceptiones sunt *apperceptiones immediatae*, a quibus *ideae intellectus* et enunciationes differunt. Enunciationes sunt vel *analyticae* vel *syntheticae*; illae scilicet definiunt notiones, quae in conceptu iam continentur; hae vero addunt conceptui notionem, quae antea eo non continebatur. Super quae nemo quidem controversiam moveat, nisi illius *λογιστικῆς* auctor longius procederet, et enunciationes syntheticas in duas classes dispiceret, in *enunciationes a priori*, et *a posteriori* formatas.

§. XXVI.

Synthesis a priori eo iudice est cognoscendi fons nihil commune habens cum rerum cognitione, animo per se, notiones, quibus inest veritas absoluta, effingente, nulla ratione habita experientiae. Quae sententia maximi profecto momenti foret et plurimum valeret ad innumeras philoso-

phorum lites componendas, si firmis niteretur argumentis. Quare enunciationes per synthesisin a priori fictas accuratius recenseamus.

§. XXVII.

Quamvis multae cogitationes a priori formatae esse videantur, tamen, si ad vivum resecantur, paucae tantum sunt, quae non a posteriori fictae deprehendantur. Quod et *Kant* animadvertens, exemplo e mathesi petito demonstrat, quatenam sit enunciatio synthetica pura; v. c. $V \times VII = XII$; hanc tamen mere analyticam esse, *Cl. Schulze* in crisi philosophiae theoreticae satis probavit.

Illam qui habet syntheticam, vocabulis decipitur, quod *quinque* et *septem* prorsus differunt a voce *duodecim*. Quod attinet ad notiones ipsas, nihil accedit; in duobus numeris prioribus (*quinque* et *septem*) continentur quinque et septem unitates, quas omnes numerus *duodecim* complectitur. Itaque nihil interest, si dixeris: *Totum partibus suis aequale est*; in quo dicto nulla est synthesis, propterea quod *totum designat complexum variarum partium*.

§. XXVIII.

Enunciationem per synthesisin a priori formatam locum habere non posse, satis elucet, quod talis conceptus sibi ipse contradicit. Ut illa a priori nata dici possit, *necessaria* sit necesse est; si necessaria est, notio, per synthesisin adiecta, ab illo dirimi nequit; itaque ipso iam con-

tineatur oportet. Si vero iam inest, per synthesin non additur. Hinc sequitur, *enunciationes necessarias esse analyticas.*

§. XXIX.

Multis nostri aevi philosophis illud dogma falsum visum est, quod philosophiam veram prorsus tolleret. Quid, autumant, philosophia docere potest, si, τῶν Φαινόμενων influxui obnoxia, nullam verum per se inveniendi facultatem possidet? Nulla existit scientia; omnes cognitiones sunt empiricae, quibus deest necessitas absoluta et interna.

In hac quaestione omnis philosophiae theoreticae cardo vertitur. Quare hoc loco de cognitionis humanae origine et natura sententiam meam qualem cunq̄e proferam.

§. XXX.

Rectissimum mihi videtur illud Lockii: *Nihil potest pervenire in intellectum, nisi per sensus*; quod recentiores ita correxerunt, ut adderent: *excepto intellectu ipso*; nescio quam bene. — Omnes quidem philosophi concedunt, cognitionem humanam a sensuum perceptione initium capere.

Intellectus, dicunt, sensa et cogitata comprehendens, conceptus format; at non semper in his terminis sese combat, sed ipse ex propria penū nova promit et inter se connectit, quam secutus rationem, altiozem cognitionem assequitur, quae omnes sensuum perceptiones excedit, cuique inest necessitas absoluta.

Veritatem formalem, sed nequaquam realem, tali modo construi posse, haud nego. Omnia sic

acquisita sunt quidem *cogitata*, sed non *cognita*. *In nulla re homo aliquid certi scit et cognoscit, nisi in iis, quae ex phaenomenis abstracta sunt.*

Ingentem philosophi talia audientes clamorem tollunt, quod magna iactantia contendere solent, veritatem meditatione abstracta formari, sicut figulus vasa fingat terrena. Unicam dissentientiū causam vociferantur esse ignorantiam. Clament licet! Nullus unquam philosophus fuit, qui aliquid certi de rebus, experientiae terminos excedentibus, demonstrare potuerit.

§. XXXI.

Viri profundae sapientiae inter *physicē* et *metaphysicē* distinguunt; quod recte quidem fieri potest. In eo autem mihi errare videntur, quod, dogmata metaphysica per *synthesin a priori* constitui posse, credunt. Quid enim metaphysicū hanc philosophandi rationem secuti, eruerunt, quid rite demonstrarunt? Quid aliud commenti sunt quam veritatem formalem seu logicam, et coniecturas subtilissimas. Sed opinio mea clarius est explananda.

§. XXXII.

Est utique philosophia metaphysica, supra sensuum perceptiones assurgens, ac phaenomenon leges dilucidans; sunt enunciationes analyticae, necessitatem internam habentes; est doctrina de Deo, de libertate agendi, nec non de vita post mortem futura, quae omnia ad naturam sublimiorem et cognoscendi facultatem metaphysicam spectant.

Unde eiusmodi cognitiones hauriantur, utrum cognoscendi materia a ratione abstracta suppeditetur, an a phaenomenis mutuanda sit abstrahendo, quaeritur. Plurimi philosophi illud volunt; mihi hoc verius videtur. Omnes enim *veritates abstractas per inductionem et analogiam ortas esse* crediderim.

§. XXXIII.

Intellectus cogitandi, similia comparandi et dissimilia distinguendi est facultas; *Ratio* principia ex iis, quae intellectu collegimus, abstrahendi atque ad ultimas rerum naturae leges adscendendi.

Muli recentiorum philosophorum et in his *Jacobi* definitiones illas censent esse falsas. Hi enim rationem cognoscendi fontem appellant sublimiorem, quem ab eo distinguunt, qui in sensuum perceptionibus, sive potius in phaenomenis sit quaerendus. Sed vix aliquid ex illo fonte solo ortum detegas; ex eodem fonte hauriunt intellectus et ratio; sed modo sublimiori et altiori. Quae sententia duobus argumentis fulciri poterit.

§. XXXIV.

Unum argumentum ex historia est petitum, et alterum ex accuratiore cognitionis humanae contemplatione.

Si quis historiam omnium, quotquot novimus, populorum diligenter animo perlustraverit, sciet et fatebitur, primos conceptus metaphysicos abstrahendo et colligendo secundum rerum experientiam, prout homines sensibus eam perceperunt,

esse ortas. Nullus sane conceptus est sublimior notione numinis absoluti et perfecti i. e. Dei; quem igitur paullo accuratius investigemus.

Omnes antiqui populi Deos esse crediderunt, sed notiones, quas de Diis sibi animo informaverunt, intellectus cogitationibus quam maxime respondebant. Homines prisca, quum naturae vires et τῶν φαινόμενων mutationes contemplerentur, causam eorum absconditam alicubi esse suspicabantur, quum nihil in mundo sine causa eveniat. (Si conclusio de effectu ad causam non ad Deum pertinet, ut multi contendunt, nihil omnino de Deo scimus.) Fingebant illi numen terrestribus nobilius, praestantius et perfectius. Nullam proprietatem abstractam Diis suis attribuebant; neque sibi animo effingere poterant notionem de numine omnibus numeris absoluti.

Si Dei notio ex fonte sublimiori est haurienda, cur diversis temporibus tam fuit diversa? Cur tam accommodata intelligendi facultati et universo animi ingeniique cultui, hominibus cuiusvis aevi proprio? Si est cognitio immediata et e sublimiori fonte oriens; vel omnino non adest, vel statim pura et genuina esse debet. Ex quo efficeretur, prisca populis nullam omnino Dei cognitionem fuisse, quod nemo contendet.

Dei notionem abstrahendo formamus; quae sane e fonte peculiari est derivanda, si abstrahendi facultas fons appellari potest.

Pluribus quamvis exemplis probari posset, omnes hominum cognitiones ex eodem fonte oriri,

unum sufficiat. Attamen, ne discrimen, quod inter apperceptiones et conceptus abstractos intercedit, confundatur, nunc pauca de cognoscendi facultate subiungamus.

§. XXXV.

Diversissimae semper fuere opiniones philosophorum de cognoscendi facultate. Iam Aristoteles, Platonis, magistri sui, placita deserens, noyam de cognitionis fonte quaestionem solvendi tentavit rationem; hos vero philosophos reliqui fere omnes secuti sunt.

Per longum temporis spatium quaestio illa intacta iacuit, donec ante centum circiter annos novo examini subiiceretur diligenterque perpendetur. Inter recentiores Lockius mihi imprimis memoratu dignus videtur, qui intellectus humani indolem et naturam acriter investigavit, tenebrasque, illi doctrinae circumfusas, optime discussit. Lockii doctrina, quum sensus omnis cognitionis primum esse fontem doceret, *Sensualismi* nomen accepit. Qui vero iam nunc spretus exolevit, quamvis argumenta, quibus nititur, nimis leviter, ut mihi quidem videntur, a viris doctis refutata sint. Sensualismus, dicunt, philosophiam prorsus tollit; quae sensibus percipiuntur mere sunt empirica; carent eam ob causam necessitate interna. Qui Sensualismo fauent, quum experientia quam maxime sit ambigua, nihil praeter dogmata incerta et aeras nugas docere possunt.

§. XXXVI.

Qui sic iudicant, veram conceptus abstracti naturam non recte perscrutati esse videntur, nec reputasse, quomodo conceptus abstractus oriatur.

Conceptus est *cogitatio*, cuius, *notionum abstractione formatarum ope*, *conscii facti sumus*.

Apperceptio in scientia rei abrupta consistit. Nec universitas, nec necessitas interna in scientia abrupta reperiri potest; quae tamen conceptui, quem intellectus formavit, inesse debet. Conceptus enim, ab intellectu formatus, a sensuum apperceptione valde diversus est; quae diversitas in abstractione ipsa fundata est neque materia continetur, sed forma.

Facile accidit, ut quod formaliter tantum mutatum est, realiter alteratum nobis videatur.

Abstrahendo omnia, quae sensus in apperceptione feriunt et movent, a phaenomenis secernimus, et tali modo fit, *ut conceptus abstracti sensuum captum excedant*.

Omnis tamen realitas, seu, ut rectius dicam, veritas, quae conceptui inest, *ex obiecto vero et reali originem trahit*.

Ne hic erroris gravissimi arguar, addam necesse est, veritatis materiam et formam esse distinguendam. Quae si non discernuntur, ex supra dictis colligi possit, demonstrationum mathematicarum certitudinem ex experientia esse deducendam, ideoque v. c. trianguli angulos duobis rectis tantum aequales esse, quod angulos tres dimetiendo illud axoma probatum inveniamus.

Geometriae demonstrationibus inest veritas necessaria et absoluta. Ea tamen non oritur *per*

Synthesin a priori, et, ut Kant contendit, per *intuitum abstractum seu originarium*; sed nititur potius *ἀξιώματι* et *postulatis simplicibus*, a quibus intellectus inchoans ad demonstrationes magis compositas procedit.

Axiomata simplicia et fundamentalia intellectus constituit, *quantitatis discretæ et continuatæ notionem a phaenomenis abstrahendo. Triangulus mathematicus est intelligibilis*, quem si abstrahendo *construere non possemus*, nulla esset *mathesis et demonstratio mathematica*. Quantitatis notio, si originem spectes, est empirica; ex quo patet, in mathesi non esse *synthesin a priori*.

Diversitas inter sensuum apperceptiones et intellectus conceptus ex animi humani spontanea vi est derivanda.

Quod homines sumus, conceptus abstractos formare possumus. *Conceptuum fons in cogitandi et abstrahendi facultate est quaerendus*. Quam vero *sensuum obiecta e cogitationibus abstractis prorsus sint remota et secreta, aliter fieri non potest, quam ut conceptus abstracti nobis videantur absoluti*.

§. XXXVII.

Multi iis, quae diximus, contradicunt, arbitantes, negatis, ideis absolutis e fonte subli-

miore hauriendis philosophiam tolli. Quod vero ut timeamus, non est opus.

Nulla enim cognitio, quam omnes pro vera et certa habent, a ratione abstracta produci potest, *exceptis veritatibus intelligibilibus*. Idea Dei, si fontem respexeris, est empirica, quod in rerum natura nihil sine auctore fieri potest; attributa enti perfectissimo vindicamus, quatenus phaenomenorum contemplatio animo, abstrahendi facultate praedito, suppeditat. Quod ad reliquas proprietates, quas Deo attribuimus, attinet, aut sunt negativæ, aut vocabulis expressæ, quibus, sensus vagus et parum determinatus inest. Saepissime enim cogitati obscuritatem verbis obtegimus, quod facile evenire potest, quum verba non sint cogitata ipsa, sed cogitatorum signa.

Quis mortalium Dei naturam definiat notionibus et attributis affirmantibus, quæ non ex phaenomenon contemplatione originem trahant? Profundior et sublimior quidem de Deo exstat doctrina, quæ vero non e fonte peculiari hauritur, sed abstractione altiore et subliori fingitur.

Philosophi præcipue, in exponenda de Deo doctrina, methodo analytica, quæ est in disciplinâ tradendis usitatissima, utuntur. Hæc methodus a synthetica est diversa, de qua pauca notemus.

§. XXXVIII.

Doctores, qui scientias, in disciplinae formam redactas, tradunt, a principiis fundamentalibus initium capiunt, ex quibus, tanquam e radicibus, reliqua nasci demonstrant; quam methodum analyticam appellant. Huic opponitur methodus syn-

thetica, qua utentes, notiones abstrahendo et colligendo, tandem ad principia fundamentalia et axiomata adscendunt.

Methodum analyticam, quo nunc versamur literarum statu, esse maxime commendabilem, nemo negabit. Singulas scientiarum partes firmissimo copulans ordine, solidiorem et clariorem eruditionem discentibus praebet. Sed ne immemores simus originis scientiarum. Nunc demum, postquam scientiae ad tantum perfectionis fastigium evectae sunt, methodo analytica uti licet. In omnibus enim scientiis a Synthesi a posteriori ordiamur, et sensim sensimque ad axiomata et principia assurgamus, necesse est.

§. XXXIX.

Si quis obiecerit, in physicis hanc quidem methodum esse retinendam, sed non in metaphysicis, quae experientiam excedant, respondeamus, de metaphysicis nos nihil compertum habere, nisi quatenus a physicis aliquid abstrahendo collegerimus.

Sensus internus huic sententiae contradicere videtur; quisquis enim meditationi abstractae animo intento indulget, semet ipsum in statum quasi elatiorem a phaenomenon influxu liberatum sentit; rerum naturae memoria et necessitudo ex animo quasi deleta et extincta est. Eiusmodi meditatio, sublimioribus prorsus dedita, e rerum naturae contemplatione ac cognitione enasci nullo pacto potest.

Quam difficultatem ut dissolvamus, meminerimus, hominem conceptus abstractos formandi facultate esse instructum. Quam si habemus, *status, quo meditationi abstractae indulgemus, sublimior et rerum naturam longe excedens nobis videatur, necesse est.*

Simul moneri debet, haud raro accidere, ut, si veritas e meditatione nostra evanuit, vocabulis inhaereamus, quorum sonus saltem habet realitatem, et, si verum sensum expiscari studemus, nubem pro Iunone amplectamur.

§. XL.

Quibus omnibus, quae supra disputavimus, probare et demonstrare volui, philosophiam omnium scientiarum esse summam, dogmata eius in disciplinae formam esse redigenda, sed non a priori per meditationem abstractam, sed potius a posteriori, ita quidem ut, phaenomenon contemplatione adhibita, colligendo et abstrahendo ad metaphysica transeamus; ne vero, ratione abstracta duce, in campum immensum evagemus, neve systema secundum logices regulas, quibus fingitur veritas intelligibilis, pangamus, et sic, divina quasi sapientia inflati, rerum naturam definiamus, non, qualis re vera est, sed qualis esse debeat, dum contendimus, quidquid animadvertimus, sentimus et percipimus, meram esse speciem.

Orationum themata et nomina iuvenum quinque, qui die constituto concionabuntur, haec sunt:

Carolus Fredericus de Ompteda, quatenus recte contendere possit, homini nihil honore sanctius et antiquius aestimandum esse, oratione germanica demonstrabit.

Ioannes Adolphus Haltenhoff, vitam Petri Terraili, (vulgo Bayard) herois fortissimi equitisque celeberrimi saeculi decimi sexti ore patrio enarrabit.

Ioannes Plate, qualem opinionem populi antiqui, in primis Graeci et Romani, de forma terrae et motu siderumque habuerint, latine exponet.

Georgius Christianus Philippi, sensus tener et delicatus ne mollior et effeminatus fiat, cavendum esse, docebit lingua utens vernacula.

Carolus Fredericus Wynecken, Graeciam resuscitatam breviter adumbrabit piaque vota pro Regis Augustissimi dilectissimique salute nuncupabit.

Cui solennitati ut Musarum nostrarum amatores studiorumque humaniorum fautores frequentes

intersint, et tirocinia oratorum iuvenum benevola indulgentia excipiant, enixe oro rogoque. Si forsitan orandi rudes iudici severiori haud satisfecerint, civi certe Regis patriaeque amantissimo, ut diei festivissimi laetitiam publice testetur, occasionem gratam praebeant.

Additamenta ad Lyceum hoc pertinentia.

Insignis praeceptorum mutatio fuit anno praeterito. *Goebelius*, qui per duodecim annos primo Grammatici et tum Subreceptoris provincia functus est, *Neuenkirchen*, *Cottmeierus*, qui triennium fere vices praeceptoris quarti, *Lamstadium*, et *Gebhardus*, qui quinti quatuor annos, expleverunt, *Gra-bergam*, vocati sunt ministri verbi divini. Quam bene de schola hac meriti sint, publico prosequi praeconio, supervacaneum puto, quum ipsi certe muneris religiosissime functi, et operae fructibus uberrime redundantis conscientiam secum abstulerint.

In locum Subreceptoris vacuum successit *Matthaei*, Hamelensis, in Grammatici, *Erueningus*, Bremensis, et in Collaboratoris, *Henckelius*, Verdensis. Laudabili ardore et assiduitate munera auspiciati sunt. Dignos se exhibebunt spe, quam nemo non de viris his, eximia doctrinae famam nactus, concepit.